

MANIPVLVS NONVS  
THESIVM LX  
EX  
INSTITVTIONVM IVSTINIANI LIB· II  
TIT· II· III· IV· V· ET VI  
ERV TARVM  
ATQVE  
P R A E S I D E  
CHRISTIANO HANACCIO  
I· V· D· ET IN ACAD· VITEMBERG  
IVRIS SAX· P· P· ORD  
DISPV TATIONIBVS X  
PROPOSITARVM  
ET A LEGVM CVL TORIBVS POSTEA NOMINATIS  
PVBLICE DEFENSARVM

---

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE

Coll. diss. A  
173, 34

DISPUTATIO LXXXII.

RESPONDENTE

DN. IOAN. GEORG. SCHIMMELIO

Die XVIII. Sept. c13 13 cc XXX in auditorio publico habita

E tit. II

Thef. 1.

**F**undamentum diuisionis rerum, in corporales atque incorporales, iuridicum est, non physicum, resque incorporales a DONELLO, VVLTEIO aliisque, perperam uocantur entia rationis.

2. Iure Romano, templum similesque diuini Iuris res, nec corporales erant, neque incorporales; hodie uero, quin sint res corporales, dubium plane est nullum.
3. Haec rerum diuisio originem suam habet, e Scholis Stoicorum, ubi tamen, si omnia ad uiuum refecentur, multa sane ad argutas ueterum et recentiorum ICtorum ineptias merito referenda esse uidentur.
4. Rerum incorporalium dominium recte negatur.
5. Pecunia ac reliquae res fungibiles, diuerso modo consideratae, ad utramque rerum speciem possunt referri.
6. Res incorporales, v. g. Iurisdictio, ius patronatus, ius uenandi &c. maiori in pretio haberi solent, quam res corporales, l. 15. §. 2. D. de rei iudicata: idcirco indistincte hic appellari potest, licet ceteroquin ius appellandi ad certam summam restrictum sit, eademque de causa, in Ord. Iud. Sax. recog. ad Tit. I. §. 6. Iura diligenter distinguuntur a rebus exigui pretii.

DISPUTATIO LXXXIII.

RESP.

DN. CHRISTIANO GABRIELE RVPERTO

Langensalz. Thuring.

Die XXIII. Septembr. in Auditorio publico habita

Thef. 1.

**R**erum mobilium et sese mouentium distinctio nec legalis est, neque utilis, l. 93. D. de V. S. nec obstat l. 1. pr. D. de edict. aedil. l. 30. pr. C. de iure dot. Nov. 112. c. 1. pr.

2. Corpus pharmaceuticum, Apotheker-Waaren, et merces in tabernis, etiam librariis, iure Rom. et Saxonico, rebus mobilibus accensentur, l. 66. D. de V. S. Mand. Elect. D. Ioh. Georg. I. de a. 1617. (f. 1066. P. I. C. A.) Dissidentibus uero facile responderi potest, nec obstat Ord. Recog. ad Tit. XIII.

3. Quod



3. *Quod ad molas natatiles attinet, quamdiu res, per legem publicam, haud est decisa, illae rectius omnino ad res mobiles referendae esse uidentur.*
4. *Res immobilis, aestimato, uenditionis causa, in dotem data, iuris intellectu, non censetur facta mobilis.*
5. *Reditus personales irredimibiles sunt res immobiles, cum iure Germanico, arg. Ord. Pol. de a. 1577. tit. 17. §. 9. tum Saxonico, Const. 24. P. III. ut itaque omnino fallatur SCHOEPPERVS, ad π. tit. de Rer. diuis. n. 41. cum ESBACHIO, illam iuris dispositionem ad Saxoniam tantum pertinere, existimans.*
6. *Res pupillorum ac minorum pretiosae, si earum excipiatur alienatio, l. 22. C. de administr. Tut. immobilium iure haud censendae sunt.*

DISPUTATIO LXXXIV

RESP

DN. GEORG. CHRISTIAN. SEGNITZ

Schenckenberga Misnic.

*Die XXIX. Ian. c. 15. 1555. XXXI. in Auditorio publico habita*

- Thef. 1. *Potest seruitus, si non praedialis, attamen personalis, uoluptatis causa, omnino constitui, nec obstat l. 8. D. de Seruit.* E tit. III
2. *Nec dubitandum est, quin moribus Germaniae seruitus etiam faciendi congruat.*
  3. *Quam diu ius dissimile, quod de seruitutibus, uel urbanis, uel rusticis, constitutum sit, probari haud potest, tamdiu huius seruitutum diuisionis usum negare pergimus.*
  4. *Actus, qui rectius dicitur Vieh-Trieb, quam Vieh-Triff, regulariter tantum denotat ius agendi pecus, non item ducendi uehiculum; in conflictu uero responderi oportebit ad prin. Inst. h. t.*
  5. *Qui actum habet, iter quoque habet, pr. Inst. h. t. cui textui opponi non potest l. 4. §. 1. D. si seruitus uind. l. 11. §. si quis iter. D. de except. rei iud. l. 24. D. de S. V. P.*
  6. *Quod in l. 7. D. de seruit. P. R. de basta erecta, constitutum legitur, hodie nec satis accurate intelligitur, nec usu seruatur.*

DISPUTATIO LXXXV

RESP

DN. CAROLO GVIL. TEMMICHIO

Vitemberg.

*Die X. Febr. habita.*

- Thef. 1. *Cum non locus, sed usus, praedii conditionem, an urbanum sit, uel rusticum, commonstret, sequitur inde, in urbe praedium rusti-*

- rusticum, in rure uero urbanum, esse posse; ad legem autem 4. §. 1. D. in quibus caus. pig. uel hyp. tacit. contr. ex instituto hic respondendum erit.*
2. *In seruitute oneris ferendi similibusque seruitutibus, resectio, si qua opus est, regulariter, non tam seruientis, quam dominantis praedii, domino incumbit.*
  3. *Quemadmodum, quid sibi uelit seruitus altius non tollendi, facile constat; ita ex aduerso, quod ad seruitutem altius tollendi attinet, illi Iuris interpretes sine dubio falluntur, qui, hic uicinum, in utilitatem nostram aedificare altius oportere, aiunt.*
  4. *Sed, cum hic lex, aut statutum, prohibens, ne altius aedificetur, supponi et debeat, et, pro status publici Romani ratione, possit, re paulo curatius pensitata, altius tollendi seruitus hodie haud amplius dari uidetur.*
  5. *Ius pascendi et compascui in eo tantum differt inuicem, quod hoc mutuum prodat atque complectatur seruitutem.*
  6. *Non sunt audiendi illi, qui, legem 15. in fin. D. de Vsufr. destitui ratione, eamque ob causam hodie negligi ac negligendam omnino esse, contendunt.*

DISPUTATIO LXXXVI  
RESPONDENTE  
DN. IOANNE GOTHOFREDO REDLICHIO

Hertzberga-Saxo

Die XXVIII. Febr. in Aud. publ. habita.

- E tit. IV Thef. 1. *Distinctio doctrinalis inter usumfructum causalem et formalem, quam nonnulli uellicant et carpunt, analogiae Iuris haud repugnat, imo Iuris arti lucem potius affert.*
2. *Lis est inanis, quam mouent IUSTINIANO, quod pr. Inst. h. t. in definitione ususfructus, generis loco, non seruitutem, sed ius, ponendum, censuerit: ac tametsi emendatione hic opus foret, quod nondum credimus, nulla tamen censura ferire posset Legislatorem, ab arte definiendi forte aberrantem.*
  3. *A iure fruendi, legitime constituendo, separari non potest usus; sint fiat, ius fruendi integrum haud esse uidetur: non obstat l. 5. §. 2. D. Usufructuarius quomodo caueat.*
  4. *Vestimentorum quidem etiam uerus datur ususfructus, l. 15. §. 4. D. de Vsufr. censura tamen dignus non est TRIBONIANVS, dum, §. 2. Inst. h. t. uestimenta earum rerum numero habet, quae uerum usumfructum non recipiant: dissentit illustr. D. BOEHMERVS, h. l. et HYBER. h. t. §. 7. circa fin.*

5. Cau-

5. *Cautio usufructuaria ita est de substantia usufructus, ut ne testator quidem, usufructum constituens, eam remittere ualeat, l. 1. C. de usufr.*
6. *Vsufuctuarius, tertio ius suum cedens, nihil agit, ius tamen suum simul ita amittit, ut illud statim ad proprietarium reuertatur; ad legem uero 66. D. de iure dot. respondendum erit.*

DISPUTATIO LXXXVII

RESPONDENTE

DN. CHRISTIANO GVILIELMO KLEBERO

Langensalza Thuring.

Die XXVIII Febr. M DCC XXXIII.

- Thef. 1. *Inter usufructum, et usum, differentiam constituere plus et minus emolumentum, discitur ex iure Rom. sed utriusque rei ambitus ita obscurus est ac dubius, ut Ictorum Romanorum philosophiam merito hic rideamus.* E tit. V
2. *In primis LABEO in suis sibi placet ineptius, dum, in l. 12. §. 2. D. h. t. usufructuarius, non lac, nec lanam, neque agnos, sed sterces duntaxat earum, pro solatio tribuit; nec multo lautius philosophatur VLPIANVS, d. l. lac modicum relinquens usufructuario.*
  3. *TRIBONIANVS, in §. 1. Inst. h. t. NERVAE sententiam, quae tamen in d. l. 12. §. 2. a SABINO, CASSIO, LABEONE et PROCVLO, dudum explosa est, nobis relinquens, egregie fallitur.*
  4. *Cum fructui propter ea per se insit usus, quod hic illo sit maior, fructus uero pinguior usu, sequitur inde, uix sibi constare ius Rom. l. 14. §. 3. h. t. constituens, posse apud alium esse usum, apud alium fructum sine usu, apud alium proprietatem.*
  5. *Vsufuctum, ad necessitatem tantum concessum, cum nudo usu conuenire, nisi, cum B. STRYCKIO, in V. M. lib. 8. §. 3. uerbis ludere uelimus, existimandum omnino est.*
  6. *His legibus Romanis, Patriae mores ac leges sine dubio longe sunt praestantiores, dum rem omnem ciuium conuentioni potius relinquere, quam, de re uaga, ambigue constituere, maluerunt.*

DISPUTATIO LXXXVIII

RESPONDENTE

DN. GOTTLÖB GOTTHELF THIEME

Gommer-Saxo.

Die VII Martii d. a. habita.

- Thef. 1. *Cum necessitas, ultra quam usufructuarius, iure Romano, nihil percipit, non simplex sit, aut summa, sed, VLPIANO quidem,*  
*cum*

- cum IUBENTIO, in l. 12. §. 1. h. t. benigne existimante, paullo remissior ac talis quoque esse intelligatur, quae et dignitati et commoditati usufruarii consulat faueatque, legis 19. h. t. uti nos pro parte posse, negantis, ratio, quam HUBER. Inst. h. t. §. 2. in simplici summaque ponit necessitate, uix uidetur concludere posse.*
2. *Neque usufruario, neque usufructuario, ius suum aliis cedere, uendere, donare, licet; emolumenta uero, quae illorum uterque legitime percepit, aut percipere potest, aliis uendi gratisque concedi possunt, nec obstat §. 1. in f. Inst. h. t.*
  3. *Tam acuta est atque subtilis legum Romanarum sententia, ut, ad usumne, an ad usumfructum, pertineant operae seruorum, ignoretur, l. 1. §. 9. ad leg. Falclid.*
  4. *Si horreum, aut taberna, aut braxatorium, ein Brau-Haus, pars aedium sit, eum, cui concessa est seruitus habitationis, et horreo et taberna et braxatorio uti posse, eademque locare, et tantum non proprietarium euadere, palam est, ex l. 13. C. de usufr. ut ideo THOMASII, ad HUBER. d. l. atque uulgarem DD. opinionem contrariam non desinas mirari.*
  5. *Satis iam differentiae adhuc superest, inter usumfructum aedium, et habitationem, cum haec donari uel alienari nequeat, nec, non utendo, aut capitis deminutione, amittatur, l. 10. D. h. t.*
  6. *Attamen VVLTEIO et, qui illum sequitur, B. BEYERO, quod dicta lex 10. de non usu sanciuir, iure Codicis, l. 13. C. de seruitut. et aqua, sublatum esse, asserentibus, ob ipsam d. legis 13. generalem sententiam, assentiri non possumus.*

DISPUTATIO LXXXIX.

RESPONDENTE

DN. CHRISTIANO FRIDERICO BAUMMANNO

Schneeberg - Misn.

Die XIV. Martii d. a. habita

- E tit. VI Thes. 1. *Lex unica C. de usucapione transformanda, usucapionem quidem, quod ad tempus attinet, longi temporis praescriptioni aequauit, eandemque ad bona quoque prouincialia extendit, ipsam tamen longi temporis praescriptionem nec mutauit, nec abrogauit.*
2. *Res incorporales non usucapiuntur, l. 43. §. 1. D. de acq. rerum dom. adeoque nec seruitutes l. 4. §. 27. D. de usurp. et usuc. l. 14. pr. D. de seruit. nec obstat l. 9. D. de usurp. l. 10. pr. D. si seruitus uindicetur.*
  3. *Generali hac legum Romanarum ratione nititur Lex Scribonia, ad quam*

quam **RAEVARDVS**, *seruitutum usucapionem, inuita prudentum interpretatione, tollens; sed ipsa hac lege, et reliquarum omnium rerum incorporalium, et sigillatim libertatis, usucapionem stabilitam esse, dubium propter ea adhuc uidetur, quod in l. 4. §. 29. D. de Vsurp. libertatis usucapio, per consequentiam tantum rei corporalis, auctae ac mutatae, facta esse intelligatur.*

4. *Libertatis usucapione, de qua in d. l. sermo est, altius tollendi acquiri seruitutem, uel constitui, minus recte asserunt.*
5. *Usucapione acquiri dominium, certum est, l. 3. D. de usurp. ad leg. uero 44. §. 1. D. de damno infecto, l. 13. §. 1. D. de iure iurando, l. 11. C. de praescript. long. temp. l. 13. pr. D. de mortis caus. donat. apparenter obstantes, in ipso conflictu respondebitur.*
6. *Contra usucapionis, iure humano constitutae, aequitatem, nihil solidi potest asferri, neque **IUSTINIANVS**, in Nou. 9. impium illam uocans praesidium, atque, ne domini iusto maturius suis rebus defraudentur, pr. Inst. h. t. cauens, de hac re subdubitauit.*

### DISPUTATIO XC.

RESP.

DN. THEOD. Gebrecht SCHMIDIO

Flurstadio - Thuring.

Die XXI. Martii habita.

- Thef. 1. *Ius Rom. de rerum mobilium immobiliumque usucapione, incorporaliumue praescriptione, multa singulariter constituens, in Saxonia exulat atque secure ignoratur.*
2. *Minus accurate non nulli dicunt, res quasdam sua natura ita comparatas esse, ut usucapi nequeant.*
  3. *Quod ad usucapionem rerum ecclesiasticarum mobilium attinet, in Saxonia, deserto anno Saxonico, receptum esse triennium, de quo, in Auth. quas actiones etc. C. de S. S. Eccles. receptum esse, nullo idoneo argumento suslineri potest.*
  4. *Bona fides in usucapionis negotio, ubique eadem desideratur, neque melior ac difficilior in rebus mobilibus, quam immobilibus, esse intelligitur; obstat §. 2. Inst. h. t.*
  5. *Cum Ius Rom. §. 2. Inst. h. t. uerb. quod autem ad eas res etc. malam fidem ad tale contrahendum rei immobilis uitium, quod usucapioni impedimento sit continuo, baud sufficere, existimet, illud ipsi malae fidei aperte fauere uidetur.*
  6. *Si debitor rem, pignori datam, surripuerit, atque distraxerit, ob ui-*

ob ui-

ob vitium furti, non procedit usucapio, l. ult. D. de usurp. et usucap. et arg. l. 6. C. de usucap. pro emptore; CASSII uero, in l. 4. §. 21. D. d. t. dissentientis, ratio frigida est, nec melioris notae lex. 5. D. pro emptore, neque felix harum legum, inter sese pugnantium, conciliato, quam molitur HUBER. Inst. h. t. §. 12.

DISP. XCI

RESP

DN. IOH. FRIDERICO MÜHLPFORT

Berga-Variscus.

Die XXVIII. Martii d. a. habita.

- Thef. 1. *Bona uacantia, fisco nondum nuntiata, decem annis possunt usucapi, §. 4. Inst. h. t. l. 18. D. de usurp. dissentiunt l. 1. C. de quadriennii praesc. l. 1. §. 2. D. de iure fisci, l. 10. D. de diuers. temporal. praesc. dissentit etiam SCHILTER, ad π. E. 45. §. 55. BEYER. ad Inst. h. t. pos. 34.*
2. *Fisco uero iam quaesita, uel saltem nuntiata, per XL annos acquiruntur, l. fin. C. de fund. patr. HOPPIVS ergo, ad Inst. h. t. §. 4. et alii, quando, bona, fisco nuntiata, quadriennio praescribi, existimant, falluntur.*
3. *In Saxonia, contra fiscum Principis, non, nisi immemorialis, Land-N. lib. 1. a. 29. contra alios uero publicos fiscos, si excipiat ecclesiasticus, XXXI. an. 6. Sept. et 3. dierum obtinet praescriptio, Const. 6. P. 2.*
4. *Ius ergo Romanum, quod ad hanc rem attinet, in foro Saxónico, imo etiam Germanico, procul dubio exulat.*
5. *Is, qui putat, sese habere titulum, cum tamen illum non habeat, usucapere non potest, §. 6. Inst. h. t. sed obstat l. 3. D. pro suo, l. 3. pro soluto, quae leges titulum putatiuum admittere uidentur.*
6. *Si antecessor bona fide rem habuit, atque successor, b. f. accipienti, tradidit, huius usucapioni prodest illius possessio, §. 7. Inst. h. t. sub fin. Ad l. 32. §. 1. D. de S. V. P. l. 13. §. quaesitum est etc. D. de acq. poss. et non nullas alias, data occasione, respondebitur.*



Coll. Diss. A 173, misc 39

Coll.  
173